

Q12.244.

Z6
3766

NOBILISSIMO ET
DOCTISSIMO
DOMINO
GODOFREDO
CHRISTIANO
GOETZIO

Annæbergensi,
Summos in Philosophia honorum titulos
faustos esse precatur,

deque

Honorum Titulis
paucis philosophatur

M. H. S.

LUBECÆ,



Typis Christoph. Gothofr. Jägeri, A. MDCCXXII.



100 11

111111

Cum faustum TIBI felicemq; ho-
 noris titulum deferendum precari animus
 sit, nobilissime ac eruditissime GOETZI, non
 immerito dilabimur occasione hac ad nobi-
 lem istam Doctorum juris naturæ materiam, ubi de
 effectibus horum titulorum disquiritur. Falcem
 quidem mittere in alienam messem videri poterā-
 mus, si quæ in Jureconsultorum scholis de titu-
 lis status & existimationis, licitis & illicitis, pro-
 priis & communibus, nominalibus, ac realibus; de-
 que Juribus circa eosdem docentur, repetere hic
 animus esset. Sufficit autem nobis in id inqui-
 rere tantum, quem tituli effectum habeant ge-
 neralem, ex principiis philosophicis inquirendum.
 Dubium est, aut difficulter certe concipitur, quo-
 modo morale quoddam attributum, ad perso-
 narum discrimina designanda inventum, effe-
 ctus notabiles producere aptum sit; cum re vera
 non sit, nisi modus, aut si aliter loqui amas, ac-
 cidens. Videmus enim titulos istos non in homi-
 nis solum mente atque corpore, sed & juxta di-
 versos status consideratos, quin etiam in tertio quo-
 dam, incrementa titulorum honoris, plane sin-
 gulares producere operationes. Modus equi-
 dem operandi horum titulorum, æque mihi
 difficilis explicatu videtur, quam quidem effectus
 ipsi perspicui sunt atque manifesti. Maximam
 enim



enim semper parit difficultatem; si quis duorum essentia diversorum Entium inter se combinationes, vel unius in alterum operationes sibi concipere & mente sua penetrare velit. Spirituum uti in universum, ita in primis mentis humanæ in corpus agendi modus nec acutissimis philosophis perspectus satis est, licet de ipsa re dubium oriri nemini queat, tot documentis conspicua. Quemadmodum enim propter defectum extremitatum in Spiritibus materia carentibus, non concipi potest, quomodo corpus tangant; ita nec minus obscurum est, quomodo operentur, cum omnis motus omnisque operatio in reliquis quidem quæ in sensus occurrunt ex contactu mutuo oriatur. Pari modo licet non agnoscere possemus rationem, qua attributorum moralium effectus sese prodant, de ipsa tamen re dubitare nefas plane foret. In eo, cui honos subjective inest, diversissimi sunt isti effectus pro diversitate humanæ constitutionis. Namque uti solis radii eisdem alia corpora liquefaciunt, alia indurant; ita similes honorum tituli dissimiles producant effectus. Quod quidem eo manifestius est, si quis ex calido, frigido, humido & sicco correspondentes elementis, ut vulgo numerantur, quatuor, qualitates in homine ortas agnoscat; aut propter discrimina temperamentorum originem suam vel sero, vel terræ, aut ole-

olis salinisque particulis debentium, diversos ho-
rum prædicaverit effectus. Serum enim si pre-
dominetur, quod inertes, atque ignavos reddit
homines, tituli honorum alimentum præbent
suo ulterius indulgendi genio. Namque si quod
antea tempus excolendo intellectui indulserat for-
te Phlegmaticus: ejus rei ratio erat, ne deinceps
deesset copia vitam agendi inter commoda, &
quietè. Jam, ubi istum suum attigisse scopum pu-
tabit, non æque de eo sollicitus erit, quo digne titu-
lis & honore utatur, quam de eo, ne animum ha-
beat, ad altiora tendendo se defatigantem.
Non vero minus diversi sunt titularum honoris
effectus, pro diversitate officiorum. Nam quantum
derogat officiis Deo aut aliis hominibus præstandis;
tantum sibi plus, quam par est, sumit. Majores ad De-
um fundet grates, quam præces; non quidem, quod
divina satis pensitet officia, sed quod vita, uti putet
tranquilla & pacata. In officiis quidem aliis præ-
standis observantior videbitur regulæ: neminem esse
lædendum; quam ejus, quæ de Bonis in alios confe-
rendis præcipit; quod in læsione aliis inferenda alios
præsumit malis mala reponentes, in conferendo ve-
ro aliis bono aliquid incommodi esse deprehendit. Un-
de facile progressus fieri potest ulterius dijudicandi,
quomodo in officiis specialibus, aut, si malis dicere,
hy-

hypotheticis sese gerant iidem, honorum titulis insigniti. Melancholia, quæ terrestribus gaudere particulis dicitur, in frigido deprehenditur convenire phlegmati. Hinc est, quod Melancholicus plures prodat effectus phlegmatico similes, nisi quod honoribus ad utilitatem suam opesq; amplificandas simul utatur. Terrestres scilicet particulæ sanguinem gignunt crassiorem, atque iners reddunt, quod permeant corpus; adeoque cum suspicax sit, parumque tribuat affectibus, qui de futuris sibi bona promittunt, Spei atque Fiduciæ, ideo sibi datos honores putat, ut iis ad facultates augendas fruatur, ne forte, quod metuit, desit, de quo vivat. Reliqua inde facile erunt dijudicanda. Si quid Cholericis accedit honoris tituliqve, oleum ignis immissum dixeris, in flammis erumpenti, altius altiusqve sese elevantibus. Namq; ut ad summa tendunt igniculi, quibus abundat eorum sanguis; ita sicubi honorum gradus ascendunt, materiam accepisse putant, ulterius sese extollendi. Hinc non contenti titulis, quos adepti sunt, nisi dignos sese præsent eorum possessores. In excolendis intellectus facultatibus operam impendunt, tam ut suo recte defungi possint munere, quam, ut, si possibile est, aptos sese reddant majoribus, & forte eo evehantur. In officiis, quæ Deo exhibenda sunt, id caute observant, ne occasio enascatur, detrahendi illo-

xum honoribus, Ceteroquin si in eo honorem positum putant, dubitandi de Deo & divinis rebus, facile in eam opinionem ingrediuntur. Nec tamen ab illorum natura abhorret superstitio, si in eadem inveniunt, quod facere ullo modo possit ad honoris amplificationem. Sibi ipsis nimium sumunt, dum in honore non adeo respiciunt id, ad quod per eundem obligentur, sed illud unice, quod super alios emineant, æstimant. Corporis quoque curam negligere eosdem videas, modo id obtineant, ut reliqui bene atque honorifice de iisdem sentiant. Quam parum adeo curent officia aliis præstanda, colligi hinc potest facillime. Superioribus enim infensos senties, quod ægre ferant superiorem. In inferiores tantum est propensionis, quantum horum erga eos est æstimium. Diversi ab his sunt effectus titulorum honoris in Sanguineo. Salia enim superflua in hoc temperamento voluptatis omnimodæ producunt appetitum. Vnde quando honorum titulos obtinent, non tam sibi gratulantur de honoribus, quam de occasione voluptatibus eo tutius indulgendi. Si qui vero honores voluptatibus quid detrahere videantur, tantum de istis decedere optant, quantum hisce derogant. Voluptatem enim pro scopo habent, honoremque respiciunt, non tanquam finem sibi propositum, sed

tan-


tanquam medicum ad istum scopum deducens. Hos
& similes naturaliter effectus producant in eo, cui
deferuntur, honores. Sed deprehenduntur etiam
effectus, quos dicere liceat relativos: quando-
quidem jus aliquod gignunt, quo uti potest, qui ho-
noris sit particeps, tanquam effectus istius honoris. Sunt
equidem tituli, quibus parum inesse apparet effe-
ctuum, quorsum referas nominales. Sed diversa
quoque operatio est eorum titulorum, quibus qui-
dem existimationis augmentum innuitur, sed sta-
tus neque connotatur simul, neque adest, ab iis,
qui statum simul includunt. Namque uti illorum
significatio pro ratione personarum, quibus tribuun-
tur, crescit; ita connotatio horum non sta-
tum solum aliorum representat, sed jura simul po-
testatemque quibus quis gaudet, indicat. Licebit de
his effectibus judicium ferre ex fundamento titulo-
rum honoris. Nam cum honor non in honorato,
sed in honorante sit: hujus quidem amor ex repræ-
sentatione potentia, spes vero & fiducia ex conside-
ratione præstantia oriri solet. Jam porro tituli præ-
sumptionem faciunt, rem esse ejus, cui titulus præscri-
bitur: admonet alios titulus de debito officioque
speciali præstando isti, qui titulum gerit: tollitque æ-
qualitatem, quæ naturaliter homines inter obtinet,
honorisque collati gradus & ordines indicat. Multa re-
stant de diversitate juris, quod vel imperfecte vel
per-

Zb 3766 Ok. X 3383121

perfecte tituli producant, & similibus, nisi id unicum mihi esset propositum, Nobilissime ac doctissime Domine Magister, ut quos *Tibi* alma mater Lipsia confert honores, exoptatos producere effectus animatus optem. Sunt ipsi isti tituli effectus & digna studiis Tuis laudabilibus præmia. Effectus sunt curæ, exempli, paternarumque precum summe Reverendi *Parentis*, qui & præsentem *Tibi* exemplum, absentique autor atque suasor est rerum Tuarum ex voto gerendarum. Effectus sunt egregiæ indolis, quæ à natura *Tibi* contigit felicissima, frequentique accedente cultura ad *apicem* properat. Justo igitur Titulo *Tibi* summi in philosophia honorum tituli conferuntur, quibus incitatus id efficias, ut Deo Ecclesiæque eo majori affectu effectumque inservire, alijs eruditione Tua commodo, atque GOETZIANO nomini novo ornamento esse queas. Sequuntur mox reales tituli, quin non Tituli solum sed & Basilicæ.



72.C



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Z6
3766

LIS SIMO ET
OCTISSIMO
M I N O
OFREDO
RISTIANO
OETZIO

æbergensi,
philosophia honorum titulos
caustos esse precatur,

deque
norum Titulis
ucis philosophatur

H. S.

B E C Æ,
Gothofr. Jægeri, A. MDCCXXII.

BIBLIOTHECA
NICKEAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(BAULE)